prôh Deum hominumque fidem! quàm foedè, quàm sanguinolenter, quàm miserabiliter defoedatum caput aspicio? facies illa facies quondam amabilis mitissimi senis qualis est, tabo cruoreque respersa qualis est? heu triste spectaculum
imo uero talis est, ut nunc tiheranti terribilis Caelo grata mortalibus salutaris existat, hi namque sunt nobiles fuci quês Christi martyres genas suas ad complectendum Deo illinxunt, quot hîc sunt maculae, tot sunt margaritae, quot sanguinis guttulae tot uirtutis indicia, num oscula figere placet? en mis se uobis offert manibus purpureae inuitant genae, os ipsum quodammodo ad risum uidebatur esse compositum, quasi mortem carnificemque rideret eluderetque, en capiti adhuc adhaeresit faenum, quasi benefactorem suum coronaturum, et quidem graminea corona, quae maximum prae caeteris decus apud Romanos praeferebat, sed oculos nunc aduertamus illud: et quò mirabilis uir Dei iter suum institutus sit videamus, an ad magistratum? adiudicem ut nefarios latrones deferat? an in ipsum nocui hostem iit? illum persecutus est atque fugauit? toto Caelo aberratum, iam siquidem mansuetissimus pater, post mortem erudire cupiens quos uiuus nequiuerat omnis iniuriae iniuriae oblitus rectà templum petebat, templum petebat! hoc hoc nempe est bonae consuetudinis uis, hinc coniice,

Lizenz: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 333v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/de/zbz/D0147/333v)